



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 3. Principes atque illustres hoc anno denati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

fit, ut Christianos in suo Regno captos lytro redimere, & ad levamen ægrotorum præter Chyrurgum etiam sex Religiosos in Mequinesensi Nosocomio retinere possent; inhibuit quoque severissime tam Mauris, quam aliis, ne hos Patres ullo pacto molestarent.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

§. II.

*Principes atque illustres hoc anno denati.*

Hunc annum vitæ suæ postremum habuere non pauci Principes, & quidem ex Ecclesiasticis occurrit Udalricus de Federpiel Curiensis Episcopus, qui die decima tertia Octobris anno sui Regiminis trigesimo e vivis excessit. Successorem habuit Josephum Benedictum Baronem de Rost, natione Germanum, qui die decima quinta Decembris unanimi suffragio electus est, non sine magna tamen Rhætorum indignatione; hi enim hanc dignitatem non nisi suæ gentis Viro esse conferendam rati, ipso electionis die suos Deputatos ad Pontificis Nuntium & Cathedrales Canonicos jamjam congregatos ablegarunt, & impensis precibus adjectisque minis audiri postulantes tandem admissi, sua jura ac privilegia violari querebantur, palamque adversus electionem reclamabant,



Sæc. XVIII. bant, si hæc in alium, quam natione  
 A. C. 1728. Rhætum caderet, seque illum pro Epi-  
 scopo nunquam habiturum declarabant.  
 Verum insuperhabita eorum oppositione  
 Electio procedebat, eoquod jam Anno  
 1620. cum Rhætis transactio fuisset  
 inita, vi cujus etiam Germanis bene-  
 ficium, ut vocant *Eligibilitatis* asserere-  
 batur, aliunde vero, cum dignissimi  
 hujus Præsulis electio supremo Cæsa-  
 ris patrocinio firmaretur, electus vix  
 non ab omnibus Rhætiæ statibus offi-  
 ciosa gratulatione honorabatur.

Die autem nona Junii post diutur-  
 nam infirmitatem Parisiis decessit Fran-  
 ciscus a Lotharinga Bajocensis Episco-  
 pus, qui a Vicario Parochiæ ad S. Mag-  
 dalenam morientium Sacramentis mu-  
 nitus, suæ appellationi contra Consti-  
 tutionem interpositæ immortalis est.  
 Edidit Anno 1722. epistolam in duas  
 partes divisam, quarum prima conti-  
 net Bajocensis Episcopi judicium de  
 variis propositionibus a Patre de Ge-  
 nes Jesuita denunciatis, altera com-  
 plectitur approbationem & confirma-  
 tionem censuræ a Facultate Theologica  
 Cadomensi die 31. Decembris 1720.  
 pronuntiatae contra septendecim propo-  
 sitiones tam ex dictatis quam ex The-  
 sibus in Cadomensi Jesuitarum Collegio  
 divulgatis. Hanc epistolam Episcopus  
 in



in sua Synodo die decima quinta Aprilis ejusdem anni promulgavit, Mense autem Julio 1724. publici juris fecit aliam Epistolam Pastoralem, in qua frequentes duo libelli fuere damnati. I. Instructio ad normam Catechismi circa Constitutionem *Unigenitus*. II. Instructio Theologica loco responsi ad libellum, cui titulus: *Familiare colloquium de Constitutione UNIGENITUS*, quem libellum non ita pridem Jansenistæ Duaci in vulgus sparserant; Tertio demum ejus Instructio Pastoralis prodiit Anno 1727. in qua duodecim Noaillii articulos propugnavit. Obiit etiam die decima quarta anno ætatis quinquagesimo quarto Augusti Ernestus Augustus Georgii I. Angliæ Regis Frater Brunsvicensis Dux, Episcopus Osna-brugensis, cui, ut recentior quidam scribit Historicus, nil nisi Religio, & consecratio Episcopalis defuit. Successorem habuit ex Catholicis Clementem Augustum Coloniensem Electorem atque Archiepiscopum. Mense autem Novembri Rupertus Baro de Rodman Campidunensis Abbas S. R. J. Princeps anno ætatis octogesimo quarto, Regiminis quinquagesimo decessit. In ejus locum a Canonicis electus est Anselmus Reuchlin Baro de Meldegg, & Wildenberg defuncti Coadjutor.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

Hoc



**Sæc. XVIII.** Hoc item anno die vigesima sexta  
**A. C. 1728.** Augusti Maria Anna Sabaudixæ Regina  
 Philippi I. Aurelianensis Ducis Filia  
 post octodecim horarum ægritudinem  
 ex viscerum doloribus animam exha-  
 lavit. Fœmina erat supra sexus sui  
 conditionem in rebus politicis versatiffi-  
 ma, & prudentia illustris. Eodem  
 anno decessere in Domo Palatino-So-  
 lisbacensi duorum Fratrum Conjuges:  
 & quidem die vigesima nona Januarii  
 Sophia Elisabetha Augusta Caroli Phi-  
 lippi Electoris Filia, Josephi Caroli  
 Conjux nonnisi triginta sex annos nata  
 & Maria Anna Marchionis Bergensis  
 ad Zomam Filia hæres, Christiani  
 uxor. Die vero septima Martii obiire  
 Fridericus Ludovicus Dux Holfato-  
 Beck anno ætatis septuagesimo quarto,  
 & Anna Petrowna Holfatiæ Ducissa  
 die decima quinta Maij annos nata vi-  
 ginti, necnon Natalia Moscovixæ Ducis  
 Soror: die secunda Augusti Alexander  
 Franciscus Lusitani Regis Filius quin-  
 quennis puer: die quinta Septembris  
 Christina Eberhardina Poloni Regis  
 uxor exacto quinquagesimo sexto ætatis  
 anno: & die vigesima septima ejusdem  
 Mensis Princeps Lubomirskyus Reli-  
 gionis fervore celeberrimus, qui apo-  
 plexia tactus decessit. Sepultus in  
 Ezenstochoviano Monasterio: die decima  
 quarta



quarta Aprilis Joannes Fridericus Mu- Sæc. XVIII.  
 tinæ Princeps nonnisi viginti septem A. C. 1729.  
 annos natus; die vigesima Julii apud  
 Sueffiones quinquagenarius obiit cele-  
 berrimus Cæsaris Legatus ad Sueffio-  
 nensem Congressum Baro de Batenrie-  
 der ab Adelshausen: Denique fatis  
 concessit Christianus Fridericus ex fa-  
 milia Comitum Bückeburgo - Lippenfi.  
 Hic uxorem suam Hohenloensem repu-  
 diabat, quamvis ex ea Albertum Fi-  
 lium, pluresque alios liberos suscepif-  
 set. Ut ergo Tyrolensem quamdam  
 puellam nomine Gallam ducere posset,  
 Romam profectus est, ubi juramento  
 testabatur, se Hohenloensem non ali-  
 ter, ac cum expressa, absoluta & unica  
 hac conditione duxisse, ut juxta sectæ  
 suæ Calvinianæ usum, ejus matrimo-  
 nium quoad vinculum esset dissolubile,  
 proin illam rursus repudiare posset. Cum  
 ergo defuisset consensus, quem disso-  
 lubilitatis impossibili conditioni alliga-  
 rit, nec prudenter præsumi potuerit,  
 quod consensum suum serio tunc huic  
 conditioni non alligarit, sed præfracte  
 eo præcise modo, quo contrahere non  
 potuit, matrimonium contraxisset, il-  
 lud irritum fuit declaratum, ac ipse  
 Gallam amplissimis pollicitationibus  
 plectam duxit, sed paulopost mortuus  
 est, ejusque Filius Albertus Gallam  
 Hist. Eccles. Tom. LXXIII. B Hil-



Sæc. XVIII. Hildeshemium migrare jussit, Matrem  
A. C. 1728. vero suam ex Anglia, quo secesserat,  
 revocavit.

§. III.

*Benedicti XIII. Pontificis Consti-  
 tutiones.*

**I**nter varia, seaque saluberrima, quæ  
 Benedictus XIII. Papa condidit, sta-  
 tata, singulari decreto ipsum etiam Ca-  
 meræ Apostolicæ Tribunal a quibus-  
 dam corruptelis expurgavit, atque ut  
 in ceteris Romanæ Urbis Curiis exactius  
 justitia administraretur, statuit, ut  
 mulctæ pecuniariæ piis locis, captivis  
 & pauperibus applicentur, & publicæ  
 tabulæ, instrumenta, aliæque ad rem  
 alienam pertinentes scripturæ in Codi-  
 ces & protocolia plene redigantur, in-  
 que Urbis Archivo reponantur. In-  
 super die decima quarta Junii declara-  
 vit, quod Jesuitis post vota simplicia  
 ante solemnem Professionem a Generali  
 dimissis nulla a societate alimenta aut  
 congrua debeat sustentatio, licet dum  
 in ea vivebant, titulo religiosæ pauper-  
 tatis ad sacros etiam Presbyteratus  
 Ordines promoti fuissent. Enimvero  
 Clemens XI. Monarchiam seu legatio-  
 nem Siculam, ejusque Tribunal edita  
 Constitutione suppresserat, Carolus ta-  
 men